

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

6 September 1995

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. The horse and the ass: a warning against pride

Equus et auro et argento, freno et sella ornatus, decorusque per membra iuventa, occurrit asino onerato et de longe venienti in limite angusto. Et quia illo transeunte tardius dederat viam, coepit cum superbia et magna ira ita dicere asino: 'Satis me vere cohibeo, quod te calcibus non disrumpam, qui me obuius non steteras, usque dum ego transirem et tu iuxta morem postea tardius ambulasses viam quam debueras.' Terrore illius ac superbia pavens, tacuit miser asellus. Deinde non longo post tempore, equus ruptus in currendo ex macie despicitur, iussusque est a domino suo ut stercus sedulo portaret in agrum. Tum rustica ornamenta suscipiens onustus ibat ea via qua asinus in prato pascebatur. Levans itaque asellus caput, agnovit eum talique sono increpavit eum, gaudens et dicens, 'Quid tibi profuerunt illia ornamenta pretiosa, quibus me despexisti, audaciam multam habens? Sed modo simile nobis ornamentum geris, officium idem agis. Die nunc, quid audaciae habes?'

2. The question of the Scottish succession

Post obitum Alexandri regis Scotiae sine liberis decedentis, mota est controversia quis ei succederet in regnum Scotiae. At quia multi regnum illud ratione propinquitatis vindicabant, nec hoc posset absque praesentia capitalis domini plene decidi, repertum est per scripta authentica et antiqua quod rex Angliae sit capitalis dominus Scotiae. Et ut hoc futurae constaret posteritati, fecit rex Edwardus isto anno omnia monasteria Angliae, Scotiae, Walliae perscrutari ad dinoscendum quale jus in hac parte sibi posset competere. Et repertum est in chronicis Mariani Scoti, Willelmi de Malmesbury, Rogeri de Hovdene, Henrici Huntyndoniae, Radulphi de Dizeto, quod anno Domini nongentesimo decimo, rex Edwardus subegit sibi reges Scotiae et Cumbrorum. Item ibidem quod anno Domini nongentesimo vicesimo primo praedictae gentes elegerunt sibi Edwardum praedictum in dominum et patronum. Item ibidem anno Domini nongentesimo vicesimo sexto rex Angliae Adelstanus devicit regem Scotiae Constantinum, et iterum sub se permisit regnare.

3. A fable of the fall of Adam and Eve

Rex potentissimus ortum deliciarum semel fecit; lignis pomiferis herbis et fluminibus decenter ornavit. Cuidam juveni pulcherrimo et uxori ejus ortum comendavit; prohibuit quod si leprosus eum intraret, osculum ei non darent nec persuasioni ejus acquiescerent: quod si facerent leprosi cum leproso efficerentur. Contigit paulo post quod leprosus intravit et quedam custodibus persuasit, osculum porrexit, custodes ei adquiescentes facti sunt leprosi. Veniens autem predictus rex increpans custodes eo quod ex culpa sui jam facti sunt leprosi, ejecit eos de orto deliciarum in valle lacrimarum. At illi genuerunt filios et filias leprosos. Rex est omnipotens qui paradisum creavit et decenter ornavit, Adam et Evam in pulchritudinem innocencie plasmavit et paradisi custodes constituit, prohibens ne de ligno sciencie boni et mali comederent. Propterea diabolus lepra peccati plenus lignum vetitum in specie serpentis ascondit et ut de fructu ligni comederet Eve persuasit.

4. A poet laments the fall of the city of Aquileia

Ad flendos tuos, Aquileia, cineres,
non mihi ullae sufficiunt lacrimae;
desunt sermones, dolor sensum abstulit
cordis amari.

Bella, sublimis, inclita divitiis,
olim fuisti celsa aedificiis,
moenibus clara sed magis innumeris
civium turmis.

Caput te cunctae sibimet metropolim
subiectae urbes fecere Venetiae,
vernantem clero, fulgentem ecclesiis
Christo dicatis.

Dum cunctis simul polleres deliciis,
inflata multo tumore superbiae,
iram infelix sempiterni iudicis
exaggerasti.

E caelo tibi missa indignatio
gentem crudelem excitavit protinus,
quae properaret ad tuum interitum
solis ab ortu.